

Petrus de Vinea

*Ep. V 8 (Sic consuevit
aliquando transgressio...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 8 (Sic consuevit
aliquando transgressio...)*

1220-1266

Eidem, ut non diruat domos proditorum, eo quod infert dampnum fidelibus.

1. Sic consuevit aliquando transgressio puniri nocentium, ut penae rigiditas, cuius relaxatio uiam delinquentibus aperit, innoxiorum modestiam propulset interdum, cum nonnumquam malorum peccata iustos impediunt, et uirtutes pro uitiiis crimina sepe ferant. 2. Sed in nostrae deliberationis examine, ubi iustitia experiri non nouit iniuriam, sic peccantium puniri desideramus excessus, ut fidelium innocentia non prematur, sed misericordia rigori preponderet, et preferatur benignitas ultioni. 3. Eapropter cum domus P. de ..., expulsi de Regno ob ipsius euidentis excessus et manifestas offensas, dirui iustitia nostra mandauerit, ac ex ipsarum dirutione domorum domus ..., fidelis nostri, qui predicti P. factiones abhominans semper fidei nostrae cultum, prout nouimus ex plurium relatione, dilexit, irreparabile dampnum propter dirutionem incurrat, ad supplicationem ..., fidelis nostri, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus supersedeas a dirutione domorum predictorum ad presens, quousque aliud exinde tibi a nostra maiestate mandetur, quia uolumus potius ex humanitate rigorem extenuare iustitiae, quam in ipsius obseruatione ledere innocentem.